Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31284
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> Kontakt: Stift Stams   <img src="https://manuscripta.at/styles/universitaets-landesbibliothek-tirol.png" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg" height="48">

danem istum. et nunc cum duabus
turmis regredior. forte iordanis erat
quem transiuit. et quia ibi titulo suus
est torrens dicebatur uadum iaboch
forte etiam uitio scriptoris pro iacob
iaboch legitur. et ex transitu illo sor-
titum est nomen uadum iacob **De lucta
Jacob cum angelo** et mutacione nominis

Cum autem precederent
turme solus in ripa flu-
minis remansit ut or-
aret. Et ecce uir luctabatur cum eo
usque mane. qui tetigit latum ner-
uum femoris eius et emarcuit. Un-
de et iacob apposuit deinceps neruum non
comestururum. et idipsum posteritas
eius obseruat. Cumque ascenderet au-
rora. dixit uir ad eum. Dimitte me
qui respondit non dimittam te. nisi
benedixeris michi. Viro autem que-
renti. nomen eius ait se uocari Jacob
Nequaquam ~~ille~~ inquid ille appel-
labitur nomen tuum iacob. sed ysrael
quia si contra deum. idest angelum
[fortis] fuisti. quanto magis contra homines
preualebis. et ita benedixit ei mutando
nomen suum. scilicet et confortando
ne timeret fratrem. Quod enim contra
deum stetit inuictus. factum est ei in sig-
num. quia inuictus staret contra
fratrem. Josephus dicit hoc nomen ysrael
hebraice sonare reluctantem ange-
lum sacrum. In libro autem nomi-
num hebreorum. interpretatur uir
uidens deum. Is enim uir. el. nomen
est dei. ra uero uidens dicitur. uel
mens uidens deum. Hanc autem
interpretationem dicit Jeronimus.
non tam uere quam uiolenter esse fac-
tam. Illam iosephi se non in hebreo
inuenisse. et dicit illud nomen sonare
princeps cum deo. sic enim angelum

interpretatum fuisse asserit. si contra
deum fortis uel princeps fuisti. quan-
to magis contra homines preualebis.
Vocauit itaque iacob locum illum pha-
nuel. idest facies dei. et ait. Vidi
dominum facie ad faciem. et salua
facta est anima mea. idest de ualde
territa. plurimum confortata. Cum-
que transgressus esset phanuel ortus
est ei sol et claudicabat **De occursu
esau et emptione agri in sichem**

Eleuans autem iacob ocu-
los uidit esau. et cum eo
quadringentos uiros. Et
precedens utramque turmam quam fe-
cerat adorauit pronus in terra sep-
ties. Currens autem esau amplexa-
tus est eum et deosculatus fleuit.
et querens cuius essent mulieres.
et paruuli cum accepisset pertinere ad
iacob. accessit et deosculatus est eos.
Cumque nollet esau munera premissa
retinere. se plurimum habundare
dicens. ait iacob. Si inueni graciam [...i. se plurimum habundare dicens]
coram domino meo. accipe munu-
sculum de manu mea. sic uidi faciem
tuam quasi uiderim uultum dei. id
est alicuius potentissimi. Non enim
ante deum credebat illum. aut in tan-
tum prorupisset adulacionem. Reuer-
sus est ergo esau die illo in seir uillam
scilicet quam de nomine suo sic dixe-
rat. Jacob autem inde procedens.
fixit tabernacula in loco. quem ob hoc
dixerat sochot. idest tabernacula (de
qua dicit Jeronimus. Sochoth est usque
hodie ciuitas. trans iordanem in parte
[ubi et] scitopoleos gedeon. et transierat iorda-
nem. cum locutus est ad uiros sochot
Sed mirum est quod dixit trans iordanem [Alia auctoritas]
cum iacob secundum quosdam. iam
dictus sit transisse iordanem. cum esset